



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 36. S. Antonii Exitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](#)

Sæculum IV. ret, sed qui cupiditatibus optime mode-  
A. C. 356. raretur. Pauciora vitæ monasticae do-

cumenta ab ipsis Athanasius, ipsi plura  
ab Athanasio ceperunt, effata ejus tan-  
quam Leges suscipiebant, utpote virisan-  
ctitate morum præcellentis, cuius salu-  
tem propriæ vitæ periculo tueri non de-

*Epist. 2. Ath. trebatabant; nam Ariani in illa usque de-*  
*ap. Lucif.*

serta immisis militibus Athanasium per-  
secuti sunt, ubique quæsus, nullibi inve-  
niebatur; Monachi, cum in milites in-  
ciderent, latronibus colloqui non digna-  
ti, jugulum excipiendis gladiis præbe-  
bant, mortis periculo pro JESU Christo  
se ipsos offerentes; majorem quippe  
mercedem, si pro JESU Christo in Servo  
ejus Athanasio paterentur, quam a jeju-  
niis, aliisque vitæ asceticæ rigoribus ex-  
spectabant. At S. Athanasius, timensne  
Monachis propter se perturbarentur, in  
remotissima deserti fugiens, se penitus  
occultavit.

### §. XXXVI.

#### *S. Antonii exitus.*

*vit. Ant. c. 31. p. 501.* Sanctum Antonium videndi solatium

S. Athanasio non obtigit, utpote ab ini-  
tio hujus anni 356. defunctum. Aliquot  
ante obitum menses pro more suo Mo-  
nachos montis exterioris invisens, ulti-  
mum, ut existimo, inquit: ad vos venio,  
fallor, si in hac vita amplius mutuo nos

con-

conspiciamus. Tempus est, ut hinc pro-Sæculum IV.  
sic sc̄ar, cum ferme centum quinque an- A. C. 356.  
norum sim. Ad hæc verba flebant fra-  
tres, & S. Senem amplectebantur, vale-  
dicens sibi cum gaudio, tanquam ex  
aliena Regione in Patriam redditum;  
hortabatur, ne a rigore vitæ asceticæ de-  
sisterent, sed ita viverent, quasi quoti-  
die morituri. Meletianos, & Arianos  
vitarent. Nec turbemini, inquietabat:  
quod judices habeant defensores suos, bre-  
vi mortalis bæc potentia, & imaginaria  
transibat. Traditionem Patrum, (\*) &  
præcipue fidem in Dominum nostrum JE-  
sus Christum servate, quam ex Scriptu-  
ris didicistis, & sæpe vobis in memoriam  
reduxi.

Fratres S. Antonium cogere volebant,  
ut apud se remaneret, ibique diem clau-  
deret, quod ex pluribus causis, maxime  
vero sequenti recusavit. Ægyptii San-  
ctorum defunctorum, præsertim Marty-  
rum corpora sibi reservare amabant; lin-  
teis quidem congeabant, & involve-  
bant, sed terræ non mandabant, imo, le-

T t 5      Etis

---

(\*) Interpres Protestans non posuit: Tra-  
ditionem Patrum, sed: der Apostel. Quasi ve-  
ro aliud Apostoli, aliud SS. Patres docuissent.  
At aliunde satis constat hunc Interpretē SS. Pa-  
trum contemptorem esse.

Sæculum IV. Etis imposita, in domibus suis retinebant,  
A. C. 356. quod mortuis honori esse existimabant.

Hic mos solis Ægyptiis erat singularis.

*Herod. L. II.* Legimus eos antiquis temporibus cor.  
c. 86. pora condita, & involuta capsis ligneis,

*Diod. L. I.* ad figuram humanam efformatis, inclu.  
n. 58. sisse, quæ stantis hominis situ, ubi pla.  
cuisset, collocabant, hodieque ejusmodi  
capsæ, quas vocant, Mumias includentes  
videntur. In hoc usu apud Ægyptios,  
hominum superstitionissimos, non leve  
Idololatriæ periculum latebat.

S. Antonius sæpe Episcopos rogave.  
rat, hac de re populos edocerent, ipse  
in Laicis hunc usum severe reprehende.  
rat, maxime in fœminis, dicens, hanc con.  
suetudinem nec piam esse, nec legitimam,  
cum corpora Patriarcharum, & Proph.  
tarum in illam usque diem in sepulchris  
servarentur, ipsiusque Servatoris corpus  
in sepulchro, lapide clauso, usque ad e.  
jus Resurrectionem fuisset positum; in.  
de probabat, errari, si corpora defunctorum,  
quantumvis Sanctorum, non oc.  
cultarentur, cum nihil majus, nihil san.  
ctius Domini corpore sit. Multis persua.  
sit, ut mortuos suos humarent, qui Deo  
pro accepta Doctrina gratias agebant.  
Cum ergo S. Antonius timeret, ne post  
mortem suam honor iste sibi exhiberetur,  
rejecto manendi consilio, exteriori mon.  
tis Monachis sine mora valedixit; adin.  
terio-

teriora, solitam suam habitationem, re- Sæculum IV.  
 versus, post aliquot menses ægrotavit; A. C. 356.  
 duobus non plures Discipulos apud se ha-  
 bebat Macarium, & Amatham, qui ei ab  
 annis quindecim in extrema senectute in-  
 serviebant; his ad se vocatis, *Ego*, in-  
 quid: *sicut scriptum est, viam Patrum*  
*meorum ingredior, nam sentio, me a*  
*Domino vocari, tum monitos, ut perse-*  
*verarent, Schismaticos, & Arianos aver-*  
*sarentur, jussit, corpus suum in Ægy-  
 ptum deferri prohiberent, ne in ædibus*  
*asservaretur, Vos ipsi, inquietabat, sepeli-*  
*te, & terra obruite in loco nemini, ni-*  
*si vobis solis cognito, quod in resurrec-*  
*tione a manu Domini incorruptibile re-*  
*cipiam. Vestimenta mea inter vos di-*  
*vidite, ex ovinis pellibus meis unam*  
*date Athanasio Episcopo, & pallium, in*  
*quo cubare soleo, quod mihi novum dona-*  
*vit, & modo detritum est, alteram ovis*  
*pellim date Episcopo Serapioni, & vobis*  
*cilicum meum retinete. Valete filii mei!*  
*jam vadit Antonius, & ultra vobiscum*  
*non erit.*

Ita locutum amplexi sunt, ipse exten- Hier. Chron.  
 dit pedes suos, jacebatque vultu hilari, Pagi. an.  
 quasi amicos charissimos, ad se invisen- 358. n. 2.  
 tes, excipiens; itaque animam reddidit  
 17. Jan. an. 356. centum quinque annos  
 natus. A puero ad summam ætatem  
 eodem semper in exercitio virtutis fer-  
 vore

Sæculum IV. vore fuit, senectutis prætextu nec deli-  
A. C. 356. catius nutritus est, nec vestimento mol-  
litori usus, nec unquam saltē pedes la-  
vit. Nullis tamen corporis infirmitatibus premebatur, non caligabant oculi,  
dentes quidem erant hebetati, sed nul-  
lus exciderat. Certe robore, & vigore  
S. Antonius illis præstabat, qui diversis  
ad delectionem cibis vescuntur, lava-  
tur, & novis sæpiissime vestibus induiti  
splendent. Discipuli ejus duo, sicut jus-  
serat, sepelierunt mortuum, loco omni-  
bus aliis ignoto.

SS. Athanasius, & Serapion Thmvi-  
tanus pro magno thesauro receperunt  
relicta sibi vellera, vestes ejus aspicien-  
tes, præsentem sibi Antonium cernere  
videbantur, cumque iis uterentur, una-  
cum vestibus ejus Doctrinam induisse.  
Antonius absque ullius scientiæ humanæ,  
artisve auxilio virtutis suæ fama orbem  
terrarum implevit, cuius Nomen non in  
Oriente solum, sed etiam Romæ, in Afri-  
ca, Hispania, & Gallia celeberrimum fuit.  
Quamvis nec legere, nec scribere litte-  
ras sciret, tamen quædam ejus opera su-  
persunt, quæ in lingua sua Ægyptiaca  
dictavit, & deinde in Græcam, rursusque  
ex Græca in Latinam translata sunt.

*Hier. de Scr. Bibl. Patr. to. 3. Cod. Reg. init.* Septem habentur Epistolæ, spiritu, & sti-  
lo Apostolico, ad diversa Monasteria mis-  
sæ; præcipua earum ad Arsenoitas data  
est.

est. Regula quoque brevis quadraginta Sæculum IV.  
octo articulos complectens ejus Nomen A. C. 356.  
præfert, ad Monachos Nacalonitas, qui  
eam expetierant, scripta.

## §. XXXVII.

*S. Hilarion in Ægypto.*

Eodem tempore S. Antonii obitus S. Hi-vita Hilar. lariioni in Palæstina, ubi tunc erat, cælitus revelatus est. Aristenete nobilis illa Christiana mulier, cuius tres filios, cum primo miracula patraret, sa- naverat, ad eum invisens, edixit, propositum sibi esse, S. Antonium quoque a- dire, cui S. Hilarion cum lacrymis: *Ipse ego Antonium videndi desiderio teneor, & profecto irem, nisi quasi captivus in hoc Monasterio retinerer, aut si quædam bujus itineris utilitas esse posset, sed heu! biduum fluxit ex quo tantus vir mortali- bus eruptus est.* Credidit ipsa, nec in viam se dedit, paucisque diebus elapsis allatum est nuntium, S. Antonium obiisse. S. Hilarion tunc annum vitæ agebat se- xagesimum quintum, & duobus annis summe affligebatur, quod ob sua mira- cula advenientium multitudine obruere- tur, nec, ut vellet, solitudine frui posset; & sane omnium ordinum homines ad eum veniebant, Episcopi, Presbyteri, Cle- ricorum, & Monachorum greges, Chri- stianæ

c. 24.

c. 23.

c. 25.